



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

II. Major cura qualiter sit in Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

commendandam utique Dei erga homines benevolentiam, qui ipsorum peculiariter *Dominus* esse velit, singularemque illis curam & amorem impendere.

II. *Major cura qualiter sit in Deo.* Cùm autem dicitur, homines Deo magis esse cordi, quàm corporearum rerum cæteras: nemo tam ignarus sit divinorum, ut sibi persuaserit, Deum de re aliqua magis intentè aut frequentius cogitare quàm de alia, sensusve de illa habere teneriores, aut vehementiores. Humanæ imbecillitatis & mutabilitatis officia ista sunt. Quia Josephum Jacob præ cæteris filiis habebat in amoribus: idcirco erga illum tenerius afficiebatur, & sæpius eum versabat in mente. Salomoni, quia liberorum carissimo, voluntatem & studia magis impendebat David, quàm Adoniæ, vel Nathani. Christum ipsum, quàm hominem, plus de optima matre & dilecto Joanne, quàm de aliis, cogitare, æquum fuit, & naturæ consentaneum. Sed absit, ut Christianus ullus, vel tenuiter eruditus, tam crassam rudemque de Deo effingat

fungat

ingatur imaginem; qui omnia intellectu-
ne una cogitat, quia totus est intellectus;
& omnia volitione una amat, quia totus
est voluntas; & totus est intellectio, ac
volitio, quia totus est actus. Deum
ergo aliquid curare præ aliis, est, plures,
ad conservationem ac perfectionem illius,
effectus sollicitudinis & amoris extra se
producere, ac demonstrare.

III. Explicando huic argumento,
Declaratur. Theologi quidam duplicem
Dei Providentiam posuere, Naturalem,
& Moralem. Naturalem vocant, qua
Deus res creatas curat, morum incapa-
ces: moribus autem regi non possunt,
quæ carent ratione, discernendis ac diju-
candis moribus necessariâ. Moralem au-
tem appellant, qua Deus utitur ad guber-
nandos Angelos & homines, qui soli in-
telligentia præditi sunt, & moribus re-
guntur. Verùm eâ distinctione omiſſa,
D. Thomam audiamus prima parte, quæ-
stione 22. articulo 2. Postquam hoc ge-
neratim posuit: *Omnia subsunt divine
Providentiæ; sed diversimode.* Particula-